

dio auroram diemque exspectent, noctu autem frigoris depellendi tutelaeque suae causa ignem in ripis alant, quem more maiorum constitutum et nauigationis caussa receptum, a vicinis impediri aut prohiberi posse nego, nisi inde periculum aut aedificiis arboribusue aut frumentis maturis immineat. Quam ob rem iste ignis tutelaris non solum in loco tuto, ab arboribus frumentisque vacuo accendendus, sed plane cohibendus et interdicendus erit, si forte ventus flat, qui cineres carbonesque frumentis, arboribus aedificiisue immittere possit. Atque cum post solem occasum Praetor haud facile adiri et cautio damni infecti vnius noctis ergo peti potest, libertatem accolis naturaliter dari puto interdicendi, quo minus ignis in loco et tempore periculofo accendatur. Sed haec de iure priuato sufficient, reliqua enim ad similitudinem seruitutis publicae facile diiudicari poterunt, vt ne vsus quidem confessoriae aut negatoriae actionis prohibendus videatur.

C A P V T III.

De iure Principis in semita nautarum.

Duplicem Principes Germaniae in fluminibus ripisque publicis sustinent personam, vnam quidein, qua proprietarii riparum in filiis praediisque suis, in qua conditione iura superiore capita exposita plenum usum habent, alteram qua Principes et legislatores, de qua breui dicam. Primum quidem Principis ius est statuendi de usu fluminum riparumue, curandique vt nauigatio et mercatura promoueatur. Itaque salutis publicae contemplatione in ripis etiam vasallorum et subditorum omnia ea imperare potest, quae nauigationi et publico fluminum usui inseruiunt. Quare non fancire solum poterit, vt iter pedestre atque adeo equestre praebeatur nautis ¹⁾), sed iure suo commodam etiam stationem mansionemque in flumine ad ripas instruet; turres eriget et signa quibus moreantur nauigantes de locis periculosis vitandis;

1) cf. JAC. MOSER von der Landeshoheit in Ansehung Erde und Wassers t. 18. §. 2.